



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 5. 6. 7. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

hanc sibi distinctionem necessariam arbitrat ad retinendos Socinianos. Prodi enim fidem ab illis, qui illa confundant.

VERSUS 5.6.7.8.

Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere surge & ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait Paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. & surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum.

QUESTIO I.

An ex potestate Christo datâ recte noui heretici doceant, Deum non esse ubique, aut Christum in terra non fuisse?

Deum?

§. 1. A nostrorum temporum infelicitate nulla hæresis abest, ut experientia docemur. Sociniani, qui veterum Samosatensianorum, aliorumque ores & barathro fuscitant, Christum non fuisse Deum, sed aliquam potestatem, seu virtutem diuinam celitus habuisse dixerunt, cum obambulare in Iudæa, eamque cum Christo obambulasse in terrâ & comitatam, ut illi ad miracula edenda viteretur. Defensionem illius erroris præstitit Vorstius dum negat Dei immensitatem: Si enim Deus in solo cælo resideret, ut Vorstius docet, in eoque est tantum ratione substantia, ut in modestâ responsione ad Britannia regis accusationem responderet, si maiestas Dei postulet, ut substantiam suam ab hisce rebus terrenis & fardis abstrahat. Si nihil infinitum esse potest, Deusque certa specie definitur. Non potuit esse in cælo Deus, & cum Christo in his sordidis & terrenis locis. Vorstius quidem more Iuliani dubitando, & querendo disputat, sed tamen aliquando etiam affirmando, aut ea asserendo ex quibus ista euidenter consequuntur. Ne vero offendar aicte Lombardum, Thomam, Scotum, Gregorium de Valentia, aliosque Scholasticos oppugnare. Sed non minus suos ipse oppugnat, Zanchium, aliosque: licet recentiores sensum cedant. Equidem non est huius loci Dei immensitatem, quod in prima parte Theologi faciunt. Hoc loco tamen perfidè vtuntur: Non enim si Dei virtutem habuit homo, qui dicitur Christus, non ideo Deus non esse dicendus est. Imo quia virtute Dei, qua absolute, & cum summa autoritate miracula edebat, præditus erat, etiam Deus dicendus est: Suprema enim potestas, quâ in patrandis rebus supra naturæ ordinem, vtatur, creaturæ non potest communicari ut c. 7. ostendi.

§. 2. Mihi vero admirabile visum est, non factum Vorstii; nam aliorum exemplo fecit: sed audacia ministrorum Leovaldensium in Frisia Vorstianorum Antagonistarum, qui in specimine conscientia, Candoris, Veracitatis, simplicitatis, & pietatis D. Vorstii, obiciunt eum non contra Scholasticos, sed Patres agere. Ipse salsus est, inquit, Patres qui Scholasticis sunt hoc ipsum reuocantes, receperunt thesin docuisse & defendisse; quid ergo mouet litem Scholasticis, & non potius ipsis patribus? Sed rei nouitas & insolentia titulo & preteritu minus odioso erat

mollienda. Verum hoc non est bona fide agere. Norunt pridem viri in orbe Christiano clarissimi, & cum dolore testati sunt Vorstium qui se quasinatum iactat ad Scholasticorum tricas eliminandas (intricatioris saltem reponendo) omnibus Scholasticorum tricas & argutis suis in hoc ipso libro de Deo intricatissimis, & argutissimis quodlibeticis & scepticis palman Magistrali supercilio eripuisse, & quidem scopo destabiliore. Conscientiam vestram appello, specimen candoris, veracitatis, pietatis date. Nunquid in omnibus articulis controuersis hoc à vobis omnibus agitur? Nonne ut minus odiosa sit hæresis nouitas eam patribus asseritis, & contra notos Scholasticos clamitatis? Cum Christo igitur Deus erat, modo prorsus peculiaris, non virtus Dei tantum. Dei virtus & potentia esse non potest vspiam, nisi ubi Deus est: est enim & ipsa Deus. Trinitatis proprium est, quia non est corpus, ut sit ubique tota, & per spacia locorum non sit diuisa. Optime Hilarius in Plal. 118. Deus appropians ego sum & non Deus de longe, dicit Dominus, non corporalibus locis Deus continetur neque sinibus aut spaciis diuinæ virtutis immensitas coarctatur. Adeft ubique, & totus ubique est, non pro parte vsquam est; sed in omnibus omnino est. Et Greg. in Ezech. hom. 8. In solo creatoris sui lumine fidei sua oculos (homo) figat: quod vnus viuificet omnia, quæ creauit Deus quod ubique est, & ubique totus est; quod incircumscriptus & incomprehensibilis sentiri potest, & videri non potest.

Iustinus Martyr in exposit. fidei. Simili modo mihi in animo considera iustitia solem, vniuersis quidem, ex æquo substantia, ut qui Deus sit presto esse.

Vigilius lib. 4. contra Eutychem. Christus circumscribitur loco per naturam carnis suæ.

Hilarius. Sicut in sole est quod videas, si hoc velis videre, Deus o quod possis, amittas autem, quod potes videre, dum quod non potes, niteris: ita & in rebus Dei habes, quod intelligas, si in-bus adeft, telligere quod potes, velis. Caterum si vltra quam potes, speres intereft, id quoque quod potuisti, posse non poteris. Id vero non virtute aliqua externa, sed substantia sua: & docet Iustinus Martyr in expositione fidei. Simili modo animo iustitia solem considera vniuersis quidem ex æquo substantia, ut qui Deus sit, presto esse. Vere igitur sancteque Vigilius l. 4. aduersum Eutychem. Christus circumscribitur per naturam carnis suæ, & loco non capitur, per naturam diuinitatis suæ. Porro vnde Vorstius erroris sui succos venenatos hauserit fontem indicat in excerptis ex annotationibus, num. 3. ad pag. 232. Et præterea firrigide litteram S. Scriptura vtriusque sententia membrum verum esse constabit. Nam neque vspiam diserte scriptum est substantiam Dei simpliciter, seu quouis modo immensam & infinitam esse. Et quæ dicta S. Scriptura vulgo hîc citari solent, ea Calvinus, & alij quidam Dd. horsum pertinere negant.

Eos inter numerare potest & Piscatorem, aliosque, de quibus alio dixi loco.

Interim ne sit locus vllus tantæ profanitati, pie philosophari Christianus addiscat, & veteres hac de re consula: qui Deum semper vniuersum & ubique profitentur. Iustinus q. & resp. ad Græcos & ad Orthodox. Iren. aduersus Hæret. l. 4. c. 36. l. 7. c. 1. Tertul. Apolog. & aduersus Praxeam. c. 16.

QUESTIO II.

An his ante ostensa Christi diuinitas confirmetur?

§. 1. Noster interpres vertit ἡ δὲ εὐαγγ.; Quid enim est facilius? Beza. vtrum est facilius, nouum esse aic in lingua Latina, quod noster habet. At vero æque nouum est in lingua Græca, in qua dixit Spiritus ἡ, non ἀπὸ τοῦ, quid, non vtrum. addo & in Syriacâ Mana. Eadem igitur superstitione & noster

Noster in-
terpres de-
fensus.

interpres, & Matthæus, imo Magister noster Chri-
stus sub ferulam vocatur.

Puerile etiam est, quod Beza *ἀγορ* vertit, attolle, sci-
licet in *humeros*; quod simplice verbo *Tolle*, negat satis
indicari. Reuera enim tollere plus est, quam attol-
lere, abeuntem autem secum ferre iussit, quod si quis
argueretur, non satis verbo attollendi significari con-
tendit. Porro refutant Beza omnia, non dixit *ἀγορ*,
sed *ἀγορ*, quod rectius per *tolle*, quam *attolle* ex-
primitur.

Fortisq; viri tulit arma disertus.

In medio enim posita à victore auferebantur.

Hoc quoque obuium est, in terra remitti, non
quod illa rem sibi in cælo rata non sit, sed ut in-
dicet se descendisse, familiariter se præsentem exhi-
bere, vnde opus sit longe petere salutem, nobis iam
hic offerri.

Remissio
peccati o-
stendit
Deum esse.

§. 2. Dignum vero obseruatu, quod S. Irenæus
lib. 5. contra hæreses cap. 17. annotauit, Deum cuius
præcepta homo violauit esse factum medicum & re-
misisse peccata, & Deum hominemque se ostendisse.
Et propter hoc, inquit, non credentibus, quæ ab eo
hiebat, remissioni, Phariseis dicebat. Ut sciatis quo-
niam potestatem habet Filius hominis remittere
peccata: & hoc cum dixisset, iussit paralyticum homi-
nem tollere grabbatum super quem iacebat, & i-
re in domum suam: propter hoc quidem efficit, con-
fundens incredulos, & significans quoniam ipse est
Vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ
supergræstus est, & factus est peccator: ex peccatis eni-
m paralyticus subsequuta est. Peccata igitur remit-
tens, hominem quidem curauit, femetipsum autem
manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest re-
mittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem
hæc Dominus, & curabat homines; manifestum est,
quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis fa-
ctus, à Patre potestatem (remissionis peccatorum)
accipiens, quomodo homo, & quomodo Deus: &
quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus
miseretur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ
factori nostro debemus Deo.

Timor po-
puli Reue-
rentialis
fuit.

Nec vero illud intractum reliquit, quod pius popu-
lus admirandus, & trepidus Deum collaudat. Tur-
bæ enim *ἰσχυροὶ*, vel ut quidam legunt *ἰσχυροὶ*, au-
toritatis fuerunt. Luc. 5. 26. Repleti sunt timore, & stupor
apprehendit eos. alii libri habent *ἰσχυροὶ*, timue-
runt. Deum vero glorificauerunt, non nouum, non a-
lium ab eo, qui semen Israël elegit, qui fœdus cum
patribus iniit, & in posteris ratum esse testamentum
suum voluit. Vnus igitur, idemque est, & noui &
veteris Testamenti conditor: sed ipsum Irenæum li-
bro citato loquentem audire præstat.

Populus
Deum no-
tum hono-
rat.

Quapropter & curato paralytico: videntes (inquit) po-
puli, clarificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem ho-
minibus. Quem igitur Deum clarificauerunt circumstan-
tes populi? Nunquidnam ab hæreticis inuentum incognitum
patrem? Et quomodo eum, qui in totum non cognoscatur
ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum,
qui in lege à Prophetis predicatus est Deus, glorificabant
Israelitæ, qui & est Pater Domini nostri. & propter hoc do-
cebat homines in sensu per ea signa, quæ faciebat, dare glo-
riam Deo. Si autem ab altero quidem patre ipse venisset,
alterum autem patrem glorificabant homines videntes eius
virtutes, ingratos eos in eum patrem, qui miserat curatio-
nem, efficiebat, sed quoniam ab eo qui est, à quo Deus v-
nigenitus filius venerat ad salutem hominum, & incredu-
los, per eas quas faciebat virtutes, prouocabat dare glo-
riam patri, & non recipientibus aduentum filii eius.

Glorificauerunt autem, quod tantam in spem
omnes erexisset, & potestatem remittendi pecca-
ta tam conspecto miraculo comprobasset. Itaque &

Deus Christus est, & idem ille, quem Patriarchæ &
Moses coluerunt.

VERSVS 9.

Et cum transiret inde Iesus, vidit
hominem sedentem in telonio,
Matthæum nomine, & ait illi,
sequere me, Et surgens secutus
est eum.

QVÆSTIO I.

An Matthæus ista scripserit?

§. 1. Negat Faustus apud Augustinum sumpro
ex hisce verbis argumento. Quid enim di-
cit? Et cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem ad telo-
nium, nomine Matthæum, & vocauit eum. At ille confestim
surgens, secutus est eum. Et quis ergo de seipso scribens dicit,
vidit hominem, & vocauit eum, & secutus est eum: ac non
potius dicat, vidit me, & vocauit me, & secutus sum eum:
nisi quia constat hæc Matthæum non scripsisse, sed alium
nescio quem sub eius nomine? Cum ergo, ne quidem si &
Matthæus hoc scriberet, verum foret: quia præfons non erat,
quum Iesus hæc loquebatur, in monte: quando magis creden-
dum non erit, quia nec Matthæus eadem scripsit, sed alius sub
nominibus & Iesu, & Matthæi.

Respondet Augustinus. At quam elegantem rem si-
bi visus est. Eausdem dicere, ubi propterea voluit, non credi hæc
scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non
ait, vidit me & dixit mihi, sequere me: Sed vidit Mat-
thæum, & dixit ei, sequere me: quod nescio vtrum de erro-
re imperitiæ dixerit: an de more fallacia: Sed non vsque ad
eo imperitum putauerim, ut nec legerit nec audierit, solere
scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint,
ita se conuexere, tanquam de alio narrent, quod de se nar-
rant. Magis ergo hunc arbitror non ut imperitum, sed ut
imperitiæ nebulam obtendere voluisse, sperantem se pluris esse
capturum, qui ista non nossent. Et in historia quid eorum se-
cularium talis narrationis reperitur exempla, sed non
minus est, ut ex alio genere literarum, vel nostris admonem,
vel ipsum resellam: ipse certe paulo ante de libris Moysi qua-
dam testimonia ita proferebat, ut non ea negaret scripsisse
Moysen, immo & affirmaret, sed ad Christum non pertinere con-
tenderet. Legat ergo in eisdem libris, quæ de se scripsit Mo-
yses, & facit Moyses, vtrum ita scripserit, Dixit autem, faci-
bat vel illud: & non potius dixit Moyses, & facit Moyses: aut
vocaui me Dominus: vel dixit ad me Dominus: & non po-
tius, vocaui Dominus Moysen, Dixit Dominus ad Moysen:
& omnia cætera in eundem modum. Ita ergo & Matthæus
de se tanquam de alio scripsit, Quod & Ioannes fecit: nam
circa finem libri sui etiam ipse se loquitur, Conuersus Petrus,
vidit discipulum quem diligebat Iesus, qui & recumbat in
cena super pectus eius, & dixerat Domino: Quis est qui tra-
det? Nunquid & hic dixit, Conuersus Petrus vidit me: an
forte propterea nec istum putant hoc Euangelium scripsisse?
Sed paulo post dicit, Hic est discipulus qui testificatur de Iesu,
& qui hæc scripsit: & scimus, quia verum est testimonium e-
ius: Nunquid ait, Ego sum discipulus, qui testificor de Iesu,
& qui hæc scripsi, & scimus, quia verum est testimonium
meum? Certe manifestum est, hunc morem fuisse scriptorum,
cum gesta narrent: Quam multa & ipse Dominus eadem
locutione de se dicit, quis enumerare sufficiat? Cum venerit,
inquit, filius hominis, putas inueniet fidem in terra? non di-
xit, cum venero, putas inueniam? & venit filius hominis
manducans & bibens: non dixit, veni: & venit hora, &
nunc est, cum mortui audient vocem filij Dei, & qui audie-
runt, viuunt, non dixit, vocem meam: & multa huiusmodi.
Vnde